

Heinrich Balthasar Roth


**Henricus Balthasar Roth/ I.U.D. & Antecessor, Collegii lurid. in hac Salana p.t.  
Decanus : [P.P. Jenae, d. 26. April. A.O.R. M.DC.LXXXV.]**

[S.l.], [1685]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791295281>


Druck Freier  Zugang





N. K. - 2 (46.)





#18

HENRICUS BALTHASAR

**R D D G** / J. U. D.

&

Antecessor, Collegii Jurid. in hâc

Salanâ p. t. Decanus.

*de*  
*teste in propria causa*



L. S. P. D.



*Nemo in causa propria Te-*

*stis aut Judex esse potest* : Regula Juris est certissima. Quod TESTEM attinet, fir-  
 mat hoc J.C. Pomponius in *l. nullus. 10. ff. de Testibus*, ubi ait : *Nullus idoneus testis in re sua intelligitur* : confirmaturque ab Imp. in *l. omnibus. ibi* : *Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt. C. eod. nec displicuit idem Pontific. sic Damas. Pap. in can. nullus. 2. Caus. 4. quast. 4. Accusatores, ait, & Judices non iidem sint, sed per se accusatores, per se Judices, per se Testes. Conf. can. si testes. 3. caus. 4. quast. 3. quem compilator ex d. l. 3. ff. de testib. ferme totum sumpsit & exscripsit. Ratio autem hujus Regulae est in promptu : ut enim testis fidem faciat, omni suspicione careat necesse est, *l. testium. 3. pr. ibi. nam si careat suspicione. ff. de testib.* ast quomodo carere potest suspicione, lucri sc. causa, cui causa propria est? *d. l. 3. pr. verb. quod neque lucri. ff. de testib.* Omnes namque homines sibi & suis commodis favent : ita ergo talis dicet testimonium, ut vel prudens mentiatur, utilitate sua victus, vel perturbatione occaecatus non videbit id quod est ; nec enim, etiam alias veracissimus, contra factum suum, contra se ipsum, contra suam mentem suumque votum venire, idque impugnare & infringere velle praesumendus, hoc enim esset naturae bellum indicere, ait, Clapmar. *L. s. de Arc. Reip. c. 16 circ. fin.* Et certe si hoc Actori liceret, an non etiam Reus idem & sibi licere putabit ? nec immeri-*

meritò, cùm non potest quod conceditur Actori, Reo denegari. *Tusch. 1. Pract. concl. 119. n. 2. Lit. A.* Ergo & ipsi licebit, quasi reprobando, in sua causa non minus proprium ferre testimonium, quæ, qualem confusionem pariant, nemo non videt, qui saltem mediocris est iudicii. Taceo, quod sic turbaretur Respublica, & vindictæ privatæ locus daretur contra *l. nullus. C. de Juda. & Calic.* Has rationes agnoverunt quoque sapientes alii. Sic Cicero pro Sext. Rosc. *Majorum more*, inquit, *comparatum est, ut in minimis rebus homines etiam amplissimi de sua re testimonium non dicant. Africanus, si sua res geretur, testimonium non diceret.* Et Symmach. *Lib. X. Epistol. 55. Addantur etiam scripta divalia, quibus ad stipulatio cujusdam remota est, qui suam jurvisse causam testimonio suo diceretur.* Cæterùm propria causa esse potest vel utilitatis, vel officii, vel affectionis ratione: de quavis specie lubet prædictam regulam exemplis illustrare. *Utilitatis* ratione res propria ea dicitur, cujus commodum aut incommodum ad aliquem suo nomine pertinet: Talis est autor qui ad evictionem tenetur, v. g. venditor in causa evictionis, quâ cum emptore agitur de re vendita: nam eâ re evictâ venditor tenetur emptori ob evictionem, *l. ex emto. C. de action. empt.* absoluto emptore, venditor non tenetur: quare juxta nostram regulam in hac causa venditor testis idoneus non erit: Donell. *d. l. 10. C. de testib. n. 3. vers. Talis.* Sed quid si ad evictionem venditor non tenetur, v. g. ex pacto adjecto, an adhuc esse testis prohibebitur? Negant id plurimi à Bart. *d. l. 10. C. de testib.* relati: à quibus tamen dissentit Jul. Pacius *d. l. 10. C. de testib. sub n. 15. vers. mihi placet.* dicens, quòd adhuc obstat, ne testimonium dicere posset, hic venditor, *Affectus, l. 5. C. de testib.* cùm quilibet ita sit affectus, ut cupiat actum suum valere: sed id non



¶ (o) ¶

ad hanc primam speciem & rationem pertinet. Similiter si conveniatur fidejussor, reus principalis ex hac causa non erit idoneus testis, cum ejus inter sit, fidejussorem non condemnari, quia fidejussor contra ipsum tunc habebit regressum. *conf. l. adversus. 29. ff. de recept. qui arbitr. rec. Pac. d. l. n. 4.* Et viceversa, si conveniatur principalis debitor, nec fidejussor idoneus testis est, cum hic solvens regressum & mandati actionem habeat contra principalem. *l. 10. mandat.* Porro *Officii* ratione testes esse nequeunt Procuratores, Causarum Patroni seu Advocati, Tutores, Curatores, alique Administratores, quamvis enim propriè non sit eorum causa sed aliena, *l. 1. §. quare. ff. quando appell. sit.* unde error nonnullorum hos ut testes admittentium: videtur tamen officii ratione propter gestam administrationem, & quod inde teneantur, causa spectare ad eosdem. *vid. l. ult. ff. de testib. & cap. 6. §. c. f. de testib. in 6to.* latè *Pac. d. l. 10. C. de test. n. 18.* ubi rationibus dissentientium respondet. Secus in alia causa vel puncto v. g. à Procuratore non tractato. *Sic si facerem Procuratorem ad unum tantum articulum, ut fortassis ad litem contestandam, is posset de aliis articulis rectè esse testis,* ait *Sichard. ad d. l. Omnibus. C. de testib. n. 5.* ubi etiam idem statuit in Procuratoribus negotiorum. Ead. ratio est in Sollicitatore. *vid. de hoc latè Ant. Gabriel. Com. Concl. de Testib. concl. 12. per tot.* de Executore etiam res liquida est, quod eam causam concernit, cui exequendæ datus est, *vid. Magnif. Dn. Struv. Sy. J. Civ. Ex. 28. tb. 39.* Ratione specialis affectionis præsumptæ causa propria dicitur in hoc juris articulo Mediatoribus, Proxenetis & similibus: *Sichard. Cod. d. l. 10. f. Ant. Gabriel. d. l. concl. 20. per tot. Conf. Cavall. Com. opi. contr. com. 1. quæst. 75. Rim. Jun. 1. Conf. 83. n. 23. Carpz. 1. Const. 16. def.*

def. 71. laud. Dn. Struv. *Syntagm. Jur. Civ. Ex. 28. th. 39. vers. sed quid dicendum.* ibique relati. De Cedente & Cessionario vid. prælaud. Dn. Struv. *d. l. de Donante* Sichard. *d. l. n. 8. vers. Nam licet.* Sed quid in causa Universitatis vel Collegii de singulis Civibus vel Collegis dicendum? Verior est sententia distinguendum: Aut enim utilitas causæ ad singulos immediatè non venit, ut, si de servitute Curiaë forsan debitæ sit quæstio: aut damnum vel emolumentum ita ad singulos redundat, ut in causa Juris pascendi, quando singuli hoc Jus in quodam districtu exercere volunt aut prætendunt. Priori casu admittuntur singuli ut testes, posteriori non æquè. Vid. latè Pac. *d. l. 10. n. 20.* Donell. *ibid. n. 3. 4.* Umm. *Process. Disp. 16. th. 4. n. 32.* & quos hic refert plures. In tantum autem prædicta nostra Regula principalis firma est, & repellit causa propria à testimonio commodum vel damnum habentes, ut, quamvis parva aut vilis sit causa, idem tamen obtineat. Sic M. Tullius *supr. rel. loc.* etiam in minimis rebus testimonium repudiat in causa propria; etiamsi maximæ fidei & dignitatis sint homines. Cic. *d. l.* Sic nec Papæ nec Imper. nec Principi in causa propria ut testi creditur. Boss. *Præct. Crim. Tit. quom. procedat. in Cr. n. 17.* Oldekop. *2. obs. Crim. 14. n. 14.* Nec solum in causis nostris, verum etiam nostrorum dicta obtinent *arg. l. 10. ff. de Jurisdic. l. 3. C. de testib. Carpz. 1. C. 16. def. 51. n. 2.* Limitationes tamen, ut plurimæ aliæ, admittit quoq; nostra Regula. Sic si adversarius non repugnet, admittuntur etiam ii ut testes, quorum interest. Dn. Struv. *supr. cit. loc.* Donell. *b. l. 10. C. de testib. n. 8. vers. nam primum.* huc pertinet si quis nobis jusjurandum detulerit, & conditione delata juraverimus, placet enim servari jusjurandum, tametsi in re mea quodammodo testis sim constitutus, *l. ult. C. de fideicommiss. Donell. d. l. quod*

etiam locuminvenit in suppletorio à Judice delato jura-  
 mento. *c. 3. extr. de procurat. Pac. d. l. 10. C. de test. n. 10.*  
 Plures vid. apud Pac. Donell. Sichard. Umm. & alios. Hæc  
 de testibus. Alterum membrum nostræ Regulæ concernit  
 JUDICEM: sicut enim nemo in propria causa testis, ita nec  
 Judex esse potest, cum eadem ferè in utroque subfit ratio,  
 quare etiam hæc conjunguntur non solum *in d. l. 3. pr. ff.*  
*& can. nullus. 1. caus. 4. q. 4.* sed & in Constitutione Imppp.  
 Valent. Gratian. & Valentinian. AAA. quæ integra ha-  
 betur in Codic. Theodosian. *l. un. ne in sua causa quis ju-*  
*dic.* unde sumpta est *L. unic. Cod. Justin. cod. tit. de quibus*  
 tamen hic fusius agere lubens omitto, cum id in se susceperit  
 Clarissimus atque Doctissimus.

**DN. JOHANN. JACOB. Hartung/**  
 Marlishuf. Thuring. J. U. Candidatus dignissimus.

de cujus vita & studiis nonnulla subjicere diuturni Aca-  
 demix nostræ mores requirunt. Natus is est *Marlis-*  
*busæ* in Comitatu Schwarzburgico A. O. R. M. DC. LX.  
 die 1. Septembr. Patre Viro integerrimo *Johann. Har-*  
*tung/ Cive Arnstadiensis, beat. mem.* Matre foemina sexus  
 sui dotibus conspicua *Catharina. Dn. Johannis Schmied-*  
*dens/ Cive primarii, & apud Arnstadienses Senatoris fi-*  
 lia. A primis annis non privata informationi solum, sed  
 & crescentibus annis Scholæ Arnstadiensis non incele-  
 bribus Classium moderatoribus fidelissimis traditus fuit  
 noster Candidatus, ubi Præceptores & studiorum di-  
 rectores nactus est Viros Clarissimos & de re literaria  
 optimè meritos, *Dn. M. Johann. Krausum*, Rectorem  
 quondam ibidem dignissimum, & post hujus discessum  
*Dn. M. Johann. Frideric. Treiberum*, Dn. Krausii in officio  
 successorem ac hodiernum Rectorem meritissimum:


Dn.


*Dn. Johann. Wolffg. Schumannum* ConRectorem diligentissimum, nec non *Dn. Christianum Tämpfelium*, t. temp. Sub-Conrectorem, jam vero apud Güntherslebienses Pastorem vigilantissimum, cujus viri fidelem privatam qq. informationem, qua per V. & quod excurrit annos fuit usus, adhuc gratâ agnoscit recordatione. Ad altiora studia præparatus, An. C. 1677. ad nos venit, atque Rectore t. t. Magnifico, Viro Amplissimo atque excellentissimo *Dn. Casparo Posnero*, Phys. P. P. celeberr. in numerum Civium Academicorum cooptatus, studia sua Philosophica jamjam cæpta continuavit, & prima studii Juridici jecit fundamenta, manu ductore fidelissimo Fratre Germano, Nobil. Amplif. & Consult. *Dn. Job. Christoph. Hartung* t. t. Philos. Magistro, hodie J. U. D. Affine nostro honorando frequentavit etiam aliorum Philosophorum Scholas, ac præprimis Virorum Plur. Reverend. Amplif. atq; Excellentif. *Dn. Valent. Veltbemii*, SS. Th. D. t. t. Eth. & Pol. hodie autē Theol. P. P. celeberr. ut & *Dn. Caspari Sagittarii*, SS. Th. D. ac Histor. PP. celeberr. hujus studium Historicum, illius autem Moralia tractantes. Tandem Sacræ Themidi se totum consecrando, Lectiones Jctorum & Antecessorum nostræ Salanæ tam publicas quàm privatas sedulò visitavit, & in specie Viros Magnif. Nobilif. Consultif. atq; Excellentif. *Dn. Nicolaum Christophorum Lynckerum*, Hered. in *Röttschau & Stubrsstett* / JC. famigeratissimum Consil. Sax. Aul. ut & Regim. Tutel. quod hic Jenæ est, splendidissimum. Cur. Prov. & Scab. Adfessorem, Facult. nostræ Seniore & Antecessorem Primar. gravissimum, *Dn. Job. volckm. Bechmannum*, Heredit. in *Obern-Tröbra* / JC. Com. Pal. Cæs. Civ. Rom. S. Rom. Imp. Exèmt. Consil. Sax. Cur. Prov. Scab. & Fac. Jurid. Asses. & Antecess. celeberrimum. *Dn. Petr. Müllerum* JC. Conf. Sax. Cur. Prov. Scab. & Facult. Jur. Asses.

Affels. ac Pandect. P.P. celeberr. Dn. Job. Philip. Schlevog-  
*tium* J.C. & P. Publ. ut & me, Jus publicum ac privatum nec  
 non Canonicum & Feudale in Collegiis Lector. & Exami-  
 natoriis publicè ac privatim docentes, diligenter audivit.  
 In disputatoriis qq. Colleg. privatis se exercuit, publicè au-  
 tem Disputationes duas laudabiliter & masculè defendit, u-  
 nam de Schultetis, Heimburg. & Scabinis Paganis; alteram,  
 casus practicos circa ususfructus materiam resolutos conti-  
 nentem; illam sub prælaud. Dn. Fratris, hanc autem sub  
 meo Præsidio; Tandem etiam Exercitiis Practicis meis in-  
 terfuit, ubi sapius in diversis causis Advocati, mox Judicis  
 vices gessit. Denique tot laboribus defunctus, cum horum  
 præmium ante aliquot dies à nostra Facultate decenter pe-  
 tierit, eundem ad consueta examina admisimus, ubi erudi-  
 tionem suam in utroque jure ita nobis probavit, ut unani-  
 mi suffragio dignus judicatus sit, quem nunc etiam ad Le-  
 ctionem Cursoriam in Auditorio publico sisteremus. Cum  
 igitur ad crastinum diem Lunæ Commendationem suam  
 ad prædict. l. un. C. ne quis in sua caus. judic. propositurus  
 sit. Ideo Magnif. Dn. Rectorem, ceterosque Procures  
 Academiae universos ac singulos, & unâ Nobilissimam Ju-  
 ventutem Academicam, ut horis destinatis huic interesse  
 non graventur, Facultatis nostræ meoq; nomine officiosè  
 invito. P. P. Jenæ, d. 26. April. A. O. R.

M. DC. LXXXV.














Affels.ac Pa  
tium JC.&P  
non Canoni  
natoriis pub  
In disputato  
tem Disputa  
nam de Schi  
casus practi  
nentem; ill  
meo Praefidi  
terfuit, ubi f  
vices gessit.  
præmium ar  
tierit, eund  
tionem suam  
mi suffragio  
ctionem Cu  
igitur ad cra  
ad *predict.* l.  
fit. Ideo M  
Academiae v  
ventutem A  
non gravent  
invito

309  
eleberr. Dn. Job. Philip. Schlewog  
ne, Jus publicum ac privatum nec  
ale in Collegiis Lector. & Exami  
tim docentes, diligenter audivit.  
g. privatis se exercuit, publicè au  
audabiliter & masculè defendit, u  
burg. & Scabinis Paganis; alteram,  
fructus materiam resolutos conti  
ud. Dn. Fratris, hanc autem sub  
etiam Exercitiis Practicis meis in  
erfis causis Advocati, mox Judicis  
laboribus defunctus, cum horum  
es à nostra Facultate decenter pe  
ta examina admisimus, ubi erudi  
jure ita nobis probavit, ut unani  
tatus sit, quem nunc etiam ad Le  
uditorio publico susteremus. Cum  
n Lunæ Commendationem suam  
is in sua caus. judic. propositurus  
Rectorem, cæterosque Proceres  
ingulos, & unâ Nobilissimam Ju  
ut horis destinatis huic interesse  
is nostræ meoq; nomine officiosè  
e, d. 26. April. A. O. R.  
DC. LXXXV.

